

clesiis Asiae et Phrygiae inferentem (dissidium scilicet iam exstiterat inter catholicos et Montanistas) falsa de ipsis prophetis et ecclesiis eorum asseverando, et praecessorum eius auctoritates defendendo, coegit et litteras pacis revocare iam missas, et a proposito recipiendorum charismatum concessare ».

Recolatur 7^o decretum Zephirini de pace moechis danda habitum fuisse validum pro universa Ecclesia; dicebatur enim edictum peremptorium in ea controversia, nec si ad omnes Ecclesias non spectasset fuisset admodum de eo sollicitus Tertullianus, qui e contrario sententiam eo edicto contentam omnibus psychicis h. e. catholicis tribuit (De Pudicitia l. c.).

Recolatur 8^o Victorem iussisse Asianos morem recipere Romanae Ecclesiae in celebratione Paschatis, eosque contumaces excommunicasse; quam excommunicationem non irritam et inanem, sed tantum minus prudentem non pauci Episcopi habuerunt (Euseb. L. V, c. 24 cf. testimonium in seqq.).

Recolatur 9^o idem comminatum esse Stephanum iis Ecclesiis quae haereticos baptizatos rebaptizarent, ut testatur Dionysius Alexandrinus penes Eusebium L. VII, c. 6.

Recolatur 10^o Origenis doctrinae causam ad Romani Episcopi Fabiani tribunal tandem delatam esse: id enim satis colligitur ex epistola Origenis ad Fabianum, in qua (ut refert Hieronymus epist. LXXXVI ad Pammachium) « poenitentiam agit cur talia scripserit, et causas temeritatis in Ambrosium refert, quod secreto edita in publicum protulerit. » Cf. Eusebium H. E. L. VI, c. 36.

Recolatur 11^o appellatio duorum episcoporum hispanorum (pag. 426) ad Stephanum.

Recolatur 12^o Cyprianum ad Stephanum epist. LXVII haec scribere, cum Marcianus episcopus Arelatensis in partes Novatianorum concessisset: « quapropter facere te oportet plenissimas litteras ad episcopos nostros in Galliis constitutos ne ultra Marcianum pervicacem et superbum et divinae gratiae ac fraternae salutis inimicum collegio nostro insultare patiantur..... Dirigantur in provinciam et ad plebem Arelate consistentem a te litterae, quibus abstento Marciano alius in locum eius substituat. »

Recolatur 13^o Dionysium Alexandrinum eo quod in epistola ad Ammonium contra haeresim Sabellii quaedam minus accurate dicta protulisset quae divinitatem Verbi negare videbantur, fuisse a quibusdam in Ecclesia fratribus accusatum apud cognominem Dionysium romanum Episcopum; atque hunc ei praecepisse ut se purgaret, cui iussioni fecit satis Alexandrinus (penes Athanasium De sententia Dionysii n. 13).

Recolatur 14^o quod de eodem Dionysio Romano refert S. Basilius ep. 70^a ad Damasum: « Novimus ex serie memoriae, a patribus nostris interrogatis et litteris etiamnum apud nos servatis edocti, Dionysium illum beatissimum episcopum qui apud vos et recta fide et reliquis virtutibus enituit, invisisse Ecclesiam nostram caesareensem et patres nostros per litteras consolatum esse, ac misisse qui fratres captivos redimerent ». Atque haec satis esse queant.

IV. Ex allegatis in hac et superioribus thesibus constat potestatem Romani Pontificis non inter fines Occidentis antiquitus fuisse inclusam, sed Orientem quoque, omnemque Ecclesiam occupasse. Sane ut nonnulla evidentissima innuamus, Episcopum Alexandrinum Dionysium iudicavit Romanus Pontifex Dionysius; Damasus Timotheum Apollinaris discipulum, petentibus Orientalibus, de haeresi cum suo magistro damnavit (Gallandi Tom. VI epist. 9), Ecclesiaeque Antiochenae idem Damasus tesseram fidei praescripsit (ibid. epist. 3^a). Victor iussit Polycratem Episcopum Ephesi concilium cogere pro quaestione Paschatis, eumque nolentem sententiae Romanae acquiescere excommunicavit. (Euseb. H. E. L. V, c. 24.). In Episcopos Constantinopolitanos potestatem exercuisse Romanam Sedem satiliquet. Quoad Ecclesias Ponti, narrat Basilius epist. 263^a Eustathium Episcopum in provinciali synodo depositum Romam confugisse, tum subdit: « quae vero sint illi a beatissimo Episcopo Liberio proposita ignoramus, nisi quod epistolam attulit per quam restitueretur: eam ubi Synodo Tyanensi exhibuit, in suum locum restitutus est. » Scilicet etsi Episcopi rationem ignorarent, satis ipsis fuit Romanum Pontificem id praecipere: adeo certus erat eius Primatus. Idem S. Basilius frequenter occidentalium episcoporum, et praesertim Romani opem implorabat pro tuenda fide in Oriente contra haereticos: « dudum novi et ipse pro mediocri mea rerum notitia unam esse ecclesiis nostris auxilii viam si nobiscum conspicerent occidentales episcopi », aiebat ipse ad s. Athanasium epist. 66^a. Et ad Damasum epist. 70 orat ipsum ut succurrat labenti Ecclesiae Orientis; id in more positum ait Occidentalium et praesertim Romani Episcopi. « Omnino autem (ait) nihil exposcimus novi, sed quod et ceteris olim beatis ac Deo dilectis viris usitatum, ac praecipue vobis ». Subirascitur quidem identidem Basilius in Romanum Episcopum, eiusque fastum carpit epist. 239^a, et 215; verum huius indignationis causa fuit, quod, ut Basilius censebat, nollet Romanus Episcopus in quaestionibus facti ab iis, ut oportebat, edoceri qui res accurate noverant; quod non negamus fieri potuisse, licet et Basilius potuerit hac in re decipi. Haec tamen Basilius lamenta supponunt iudicem necessarium in causis quoque ecclesiarum habitum

fuisse Romanum Episcopum. Ex hac supposita ignoratione factorum contigit ut Basilius audito quod Paulinus Antiochenus acceperit litteras communionis ab Occidentalibus, scripserit ep. 214 se id non mirari « illi enim res nostras omnino ignorant.... Verum quia accusamus neminem, imo erga omnes habere caritatem cupimus, et maxime erga domesticos fidei, gratulamur iis qui litteras Roma acceperunt..... Non idcirco tamen mihi ipse unquam persuadere potero, ut aut Meletium ignorem, aut ecclesiae cui praeest obliviscar. »

Illud praeterea advertisse iuvat quibus verbis exprimat Eusebius l. c. excommunicationem quam Romana Sedes in aliquos ferret, nimirum: « a communione abscindere conatur, datisque literis universos qui illic erant fratres proscibit, et ab unitate Ecclesiae prorsus alienos esse pronuntiat ». Scilicet a communione romana abscissus hoc ipso extra Ecclesiam est: remque ita se habere Irenaeus aliique Episcopi intelligebant, qui non ius negarunt, sed exercitium iuris in ea quaestione parum probarunt. Habes ergo in quovis Patriarchatu et Exarchatu Orientis exercitam fuisse Romani Pontificis auctoritatem. Quin et in Occidente non ut simplex Patriarcha sed ut Primatum obtinens fere semper se gerebat. Ad ea enim iura Petri provocabat, quibus potestas Primatus in universum orbem continetur. Cum vero Patres Arelatenses in Synodica ad Silvestrum eius dignitatem praedicant his verbis: « a te, qui maiores Dioeceses tenes » etc. forte de eius tantum patriarchali dignitate loquuntur, cuius amplitudo maior erat amplitudine aliorum Patriarchatum, cui patriarchali potestati omnes ii Patres suberant, qui et canones pro Ecclesia occidentali condiderant. De qua dignitate Romani Pontificis cf. Schelstrate Dissert. De Auctoritate Patriarchali et metropolitana.

V. Nequit tamen heic praetermitti castigata a cl. Sirmondo inscitia Salmasii. Is cum penes Rufinum breviationem canonis VI Nicaeni legisset: *ut apud Alexandriam et in Urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Aegypti vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat*, primo quidem suburbicarias Ecclesias eas dictas esse docuit quae intra centesimum ab Urbe lapidem continerentur, tum ad has solas auctoritatem Romani Episcopi fuisse protensam.

Verum 1^o ut de ipso canone nicaeno loquamur, haec certa sunt. In vulgatis editionibus et secundum Dionysii versionem Canon ita se habet: « Antiqua consuetudo quae est per Aegyptum, Lybiam et Pentapolim servetur ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia et Urbis Romae Episcopo parilis mox est ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ρώμῃ ἐπισκοπῶ τοῦτο συνήθες ἐστὶ.

Similiter autem et apud Antiochiam, ceterasque provincias (ἐπαρχίας) sua privilegia serventer ecclesiis ». Porro negandum est his verbis aliquid decerni de Romana Sede (« Non aliquid super eum - Petrum eiusque successorem - ausa est constituere Nicaena Synodus, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri; omnia denique huic noverat Domini sermone concessa » Bonifacius I epist. XIX penes Gallandi T. IX), sed mos Romanae Sedis ut norma et exemplum sumitur ad decernendum quidpiam pro Alexandrino Episcopo. Auctoritas vero Alexandrini Episcopi de qua sermo heic occurrit ea est quae dicta est postea Patriarchalis (hoc enim nomen ipsa re fuit recentius): si qua erga comparatio inter Alexandrinum et Romanum Episcopum instituitur, ea est inter utriusque iura patriarchalia. Non erit tamen abs re monere quod hic idem canon paulo aliter a Paschasino Legato Sedis Apostolicae lectus est in Synodo Chalcedonensi, qui illum actione XVI obiecit Patribus qui, legatis insciis, in actione praecedente canonem condiderant pro ampliandis iuribus Ecclesiae constantinop. Sic ergo legit: « Trecentorum decem et octo Sanctorum Patrum canon sextus. Quod Ecclesia Romana semper habuit Primatum: teneat autem et Aegyptus ut Episcopus Alexandriae omnium habeat potestatem, quoniam et Romano Episcopo τοῦτο συνήθες ἐστὶ etc. » cui lectioni nemo refragatus est.

Aliam lectionem Sirmondus se vidisse testatur in antiquissima Nicaenorum canonum editione Bibliothecae vaticanae his verbis: « de primatu Ecclesiae Romanae, et aliarum civitatum Episcopis. Antiqui moris est ut Episcopus urbis Romae habeat principatum, ut suburbicaria loca, et omnem provinciam suam sollicitudine gubernet etc. » Verum de his videant eruditi.

Ut ergo canon qualis communiter legitur intelligatur; recolendum quod Romanus Episcopus non solum Primatum habet in universam Ecclesiam, sed et speciatim Patriarcha est, atque ut talis agnitus semper fuit. Eius autem Patriarchatus fuit totus Occidens. Id satis notum est. Ait Ioannes Zonaras scriptor sec. XII ad can. VI Synodi nicaenae: « Alexandrinum igitur episcopum iis, qui in Aegypto, Lybia, Pentapoli sunt, praesidere iubet, Antiochenum subiectis sibi provinciis Syriae nimirum, Caelesyriae, Ciliciae utrique, Mesopotamiae, ac alios episcopos suis quemque regionibus praesesse, quemadmodum et Ecclesiae Romanae Antistes ut occidentales provincias regat mos obtinuit ». Amplitudo huius Patriarchatus ex eo patet quod metropolitanos Thessalonicenses, Corinthium, Nicopolitanum, Atheniensem, Patrensem subiectos haberet quos postea per vim sibi adscivit Episcopus Constantip.: qua de re lege Leonem

Sapientem in sua Diatyposi. Et sane cum tribus Patriarchis duo alii additi forent, universam Ecclesiam in quinque Patriarchatus distinctam esse omnes fatebantur (lege Iustinianum in Novella CXXIII); porro quatuor ex illis ad Orientem spectabant; Occidens proinde universus Romano Episcopo suberat, qui primus quoque inter Patriarchas connumeratur.

Quod Patriarchae iurisdictioni subditum erat Dioecesis dicebatur secundum formam divisionis imperii Romani factam a Constantino, non tamen ita ut singulis dioecesibus civilibus totidem dioeceses ecclesiasticae responderent, plures enim dioeceses civiles comprehendebat dioecesis Romani Episcopi et Antiocheni et Constantinop. Dioecesis plures provincias continebat quibus singuli metropolitani praesidebant; provincia plures ecclesias quae a singulis Episcopis regebantur. Cum Patriarcha civiles dioeceses sub se obtineret, inter ipsum et metropolitanos erant Exarchi qui Dioecesibus praerant, ut Exarchi Caesareae Cappadociae, Ephesi, et Heraclaeae qui Dioeceses Ponti, Asiae, et Thraciae gubernabant, suberant Patriarchae Orientis h. e. Antiocheno (Cf. can. IX, Syn. Chalced.). Sedes Patriarchales vocabantur κατ' ἐξοχὴν Sedes, θρόνοι, ut ex Gelasio liquet; qui in commonitorio ad Faustum negat Episcopatum Constantinop. (cuius Patriarchalis potestas a Romana Sede nondum probata fuerat) habere per canones locum inter Sedes.

Itaque quoniam in canone Nicaeno comparatio quaedam instituitur inter Alexandrinum Episcopum et Romanum, illiusque dignitas patriarchalis spectatur, dicendum est et Romanum Episcopum sub ea ratione spectari quatenus est Patriarcha.

Quare 2^o ad Rufini interpretationem quod spectat, vel iste assecutus est sensum canonis nicaeni, vel secus; si non est assecutus, de eo non sumus solliciti: si assecutus est, non potuit appellatione ecclesiarum suburbicariarum aliud intelligere quam Ecclesias totius Occidentis, quae nempe sub Episcopi Urbis potestate erant. Sicut enim duplici a Constantino constituto Vicario Praefecturae Praetorianae Italiae, altero dicto Vicario Urbis qui Romae Sedem habebat, altero Vicario Italiae, qui sedem habebat Mediolani; eae regiones vel provinciae quae Vicario Urbis parebant, dicebantur suburbicariae, ita Rufino fas fuit ecclesias suburbicarias vocare quae parerent Episcopo in Urbe sedenti. Ceterum historice constat iurisdictionem Romani Episcopi nedum patriarchalem, sed metropolitanam antiquitus ultra centesimum lapidem se protulisse, ut prorsus inepta sit Salmasii imaginatio. Lege Diatribas Iacobi Sirmondi De Suburbicariis regionibus et ecclesiis Operum Tom. IV, edit. Venetae 1728.

VI. Adversarii nobis potissimum obiiciunt quaestionem exhortam

inter Africanos Episcopos et Romanam Sedem circa appellationes in causa presbyteri Apiarii, qui ab Urbano Episcopo suo Siccensi excommunicatus et depositus appellavit et confugit ad Romanum Pontificem Zosimum. Quae appellatio inusitata Africanis eos adeo commovit, ut eodem anno 418 (Vide Criticam Antonii Pagi an. 419 n. 25) statuerint in Synodo (can. 125 penes Dionysium) ne Clerici appellent ad transmarina iudicia. Zosimus tamen appellationem recepit, misitque sub finem eiusdem anni legatos suos in Africam qui causam cognoscerent, sententiamque ferrent cum vicinis Episcopis, quibus commonitorium in scriptis dedit, in quo descripti erant quidam canones sardicenses, appellati tamen a Zosimo canones nicaeni. Ita enim tunc Ecclesia Romana solebat canones hos et alios appellare denominatione ducta a nicaenis canonibus quibus subiiciebantur (cf. Oper. S. Leonis. Tom. III, edit. FF. Ballerin. p. 2, c. 1, §. 3). Episcopi Africani qui Concilii oecumenici sardicensis memoriam amiserant, mirati sunt eos canones proferri quoniam eos inter nicaenos non reperiebant, statueruntque in Orientem mittere qui a principalibus Ecclesiis authentica exemplaria Canonum nicaenorum referrent: interim tamen professi sunt se servaturos canones illos quos Legati Zosimi attulerant, salva diligentiore inquisitione concilii nicaeni, ut aiebat Augustinus. Literas quoque dederunt ad Romanum Pontificem Bonifacium successorem Zosimi ut ipse quoque id curaret. In quibus literis haec quatuor referunt sibi mandata a Sede Romana: « unum de appellationibus episcoporum ad Romanae Ecclesiae Sacerdotem; alterum ne ad comitatum episcopi importuni navigent; tertium de tractandis presbyterorum et diaconorum causis apud finitimos episcopos, si a suis excommunicati perperam fuerint; quartum de Urbano episcopo excommunicando vel etiam Romam evocando, nisi ea, quae videbantur corrigenda, corrigeret. Quorum omnium, inquit, de primo et tertio.... iam priore anno ad eundem Zosimum insinuari curavimus ut ea servare sine ulla eius iniuria paulisper sineremus usque ad inquisitionem statutorum Concilii nicaeni ». Interea Patres Africani cum quodam temperamento Apiarium restituerunt; qui postea iterum damnatus rursus appellavit Romam, rursusque missus in Africam legatus a Caelestino successore Bonifacii Faustinus, qui, si Africanis credimus, cum quodam insolenti fastu se gessit. Acceptis autem ab Orientalibus Ecclesiis canonibus nicaenis, nec inter eos visis iis quos Zosimus protulerat, scripserunt ad Caelestinum epistolam synodicam, in qua, post mentionem factam Apiarii, haec continentur. 1) Episcopi deprecantur, ut deinceps Romanus Pontifex non adeo facile admittat Episcopos ex Africa venientes, nec ibi excommunicatos velit ultra in suam com-

munionem recipere: 2) idem ut repellat improba refugia presbyterorum quoque et sequentium clericorum. Horum primum probant ex canone nicaeno V. (Cf. Th. XV, n. IV) argumento a minore ad maius: « quia etsi de inferioribus clericis vel laicis videtur ibi praecaveri, quanto magis (consequentia sane non apparet) hoc de Episcopis voluit observari, ne in sua provincia a communione suspensi, a tua sanctitate vel festinato vel praepropere vel indebite videantur communioni restitui ». Alterum probant: « quia et nulla Patrum definitione hoc Ecclesiae derogatum est Africanæ; et decreta nicaena sive inferioris gradus clericos sive ipsos episcopos suis metropolitanis apertissime commiserunt ». Utrumque vero probant, quia « prudentissime iustissimeque Patres providerunt quaecumque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda »; tum quia difficile est ad transmarinum iudicium necessarias personas testium adduci. 3) Aiunt se in codicibus nicaenorum canonum non reperisse canones a Zosimo productos. 4) Hortantur tandem ut Romanus Pontifex nolit, quibusque petentibus, mittere aut concedere exsecutores suos.

Ex hac porro historia inferunt adversarii Africanos Episcopos non agnovisse nec probasse ius Romani Pontificis recipendarum appellationum; si enim id credidissent, etsi eos laterent canones sardicenses, acquievisset sponte mandatis Zosimi. Tum eas appellationes in epistola ad Caelestinum impugnantes ex decretis Concilii nicaeni, videntur ii Patres censuisse auctoritatem Romani Pontificis esse canonibus limitatam.

Iam vero ut indoles huius facti intelligatur, haec putamus advertenda. 1) Occasio ortae disceptationis fuit appellatio presbyteri ad Romanam Sedem; quam appellationem Zosimus suscepit: ut autem salvo suo iure rem suaviter ageret, noluit iudicium Romae habere, sed legatos in Africam destinavit qui cum episcopis africanis iudicarent. 2) Praeterea idem Zosimus misit in Africam tres canones sardicenses, primum (ut ipse advertit in suo commonitorio c. V. lecto in Synodo vulg. dicta sexta Carthaginiensi an. 419. Vide Baronium sub eodem anno) *de episcoporum appellatione*, qui est quintus sardicensium, et est ultimus ex iis quos superius attulimus: alterum *ne Episcopi ad comitatum importune navigent*: tertium *de appellationibus* (ut idem Pontifex ibidem ait) *clericorum, idest minoris loci*, qui est septimus decimus sardicensis, in quo statuitur, ut si Episcopus ex iracundia cito aut aspere commotus sit adversus presbyterum sive diaconum suum, eumque voluerit eicere ab Ecclesia, providendum sit ne innocens damnetur, ideoque possit eiectus confugere ad metropolitanum, et si hic abest, ad finitimum episcopum (Dionysius legit episcopos finitimos) et rogare ut suum

negotium accurate examinetur. Ille vero episcopus, qui iure vel iniuria eiecit presbyterum, aequo animo ferat rei fieri examinationem, suamque sententiam vel confirmari vel corrigi. Utriusque canonis mentionem faciunt Africani in epist. ad Bonifacium.

Quorsum duos canones primum et tertium protulit Zosimus? an tantum pro tuendo suo iure in appellatione a se recepta presbyteri Apiarii? verum prior canon agit de appellatione episcoporum; alter agit quidem de appellatione clericorum sed ad metropolitanum aut finitimos Episcopos. Quaestio est paululum impedita. Ceterum non possumus consentire Davidi oper. cit. c. XI, a. 9 arbitranti traditos a Pontifice legatis suis eos canones fuisse ad eorum tantum instructionem: nam vix ac Legati Synodum inierunt, postularunt ut commonitorium quod attulerant cum iis canonibus publice legeretur, et actis insereretur, quod factum est; eorumque executionem expoposcerunt. Docere ergo Africanos vel eis in memoriam revocare aliquid Pontifex volebat afferendo eos canones. Scilicet cum Zosimus ita appellationem recepisset ut legatos suos miserit qui iudicarent, iudicarent tamen cum aliis Episcopis Africanis, duos eos canones misit in quibus statuitur et potestas episcoporum iudicandi in causa appellationis presbyterorum, et potestas Romani Pontificis mittendi legatos qui vice sua iudicent, ut sic pateret alterum ab altero non excludi. Verum quidem est quod canon 5 sardicensis agit de potestate Rom. Pont. mittendi legatos in causis episcoporum, attamen censemus mentem fuisse Zosimi quod idem valere deberet in causis presbyterorum, idque ex consuetudine recepta confirmari; ideoque censemus dedisse Zosimum in mandatis legatis suis, ut ratione habita consuetudinis sic canonem illum explicarent: et merito quidem. Nam canon non statuit ius, sed solum determinavit exercitium iuris; porro quae rationes valebant pro appellationibus Episcoporum, valere frequenter poterant pro appellationibus presbyterorum: existente ergo iure divino in Romano Pontifice quoad utrosque, quod ius a canonibus independens est, et existente eadem ratione pro appellationibus presbyterorum ac Episcoporum, cum horum appellationes, et legatorum missionem in eorum causis canon sardicensis probaverit, censendus erat probasse quoque idem in causis presbyterorum. Quare abs re non est supponere quod Zosimus legatos suos iusserit iuxta hanc mentem canonem explicare, confirmantes id quoque ex consuetudine, ad quam certe in Synodo an. 419 Faustinus Legatus provocavit. Quia vero alia erat consuetudo Africanæ Ecclesiae in huiusmodi causis presbyterorum, hanc interpretationem non probavit Africanis. Sed illud potissimum eos commovebat quod canones sardicenses ignoti ipsis forent; quare cum hos